

eorum membræ, ut dicit Augustinus, lib. de Civ. Dei cap. 4. & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 82. multa autem facit erga talia corpora, sæpè lingua utitur ad dicendum multa, & maledicendum: sæpè etiam membris genitalibus abutitur ad actus obscenos, alia que similia facit, etiam invitis hominibus quos vexat: ergo, &c.

S. Au-
gust.
lib. 19.
de Ci-
vit.
Resp. id verè reperiri apud Tolet. cit. falsum tamè est apud S. Augustinum inveniri locis cœtatis. Vidi quidem oculis meis Toleti doctrinam, & ea quæ dicit S. Augustinus legi de verbo ad verbum: & valdè miror, quod ad tales spurcitas citetur tam magnus Ecclesiæ Doctor. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4. de miseriis agit vitæ mortalis, & ait: *Quid dicam de his, qui Dæmonum patiuntur incursus?* Ubi habent absconditum, vel obrutam intelligentiam suam quando secundum suam voluntatem, & Anima eorum, & corpore malignus utitur spiritus? Vide quantum hoc distet à verbis argumenti, & à fine illius.

S. Au-
gust.
de Ec-
cles.
dog.
Idem Magn. August lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 82. interrogat: Dæmones quomodo occupent homines? Et respondet in corpore: *Dæmones per energiam operationem, non credimus substantialiter illabi Animæ, sed applicatione, & oppressione uniri.* Illabi autem menti, illi solum possibile est, qui creavit. Vide quantum hoc differat à doctrina in argumento relata.

Arg. 27. Ex ipso Cardin. Tolet. Tolet. in cap. 11. Lucæ annot. 59. ubi in 11. clarius explicat vexationem Dæmonis per exercitium, ibi: *Altero modo corporaliter tantum, &c.* quia non semper, qui sic Dæmonie vexantur, in peccato sunt, ut probat Augustinus, lib. 21. de Civit. Dei, cap. 14. lib. 22. cap. 22. ergo, &c.

Resp. similiter, nihil Sanctum Augustinum dicere in locis cœtatis, quod pro sit arguentibus. Certè dum Augustinum audio nominatum in favorem oppositæ sententiæ, sisto gradum, & transire non audeo, usquedum, quæ dixit, oculis meis recognoscam. Lib. 21. de Civit. Dei, cap. 14 agit de pœnis temporalibus istius vitæ mortalis, & inquit: *Nonnulli etiam in cursus spirituum malignorum aliquando patiuntur.* Hoc verum est.

Et lib. 22. cap. 22. de miseriis, quibus humanum genus obnoxium est, circa medium ait: *Contra milleformes Dæmonum incursum: quis innocentia sua fudit, quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, &c.* Videatur in utroque loco Santissimus Doctor, & nihil in eis de violentiis turpibus invenietur, sed de vexationibus corporalibus, de quibus supra diximus in solut. ad arg. 9. & 10.

Arg. 28. ex Cassiano, collat. 7. Cas. in cap. 27. ubi refert, obsessionem Coll. Abbatis Moysis, quem vocat *Vixum incomparabilem*, & ait, obsessionem

S. Au-
gust. I.
21. de
Civit.
Dei.

Libro V. Capitulo VII.

sionem pertulisse, ad purgationem spiritualem: ergo, &c. Resp. obsessionem fuisse solum pœnalem, & vexationem corpoream tormentorum in corpore sine violentiis turpibus, de quibus est disputatio nostra, nam de alia non dubitamus. Videatur sol. ad arg. 20.

Men. Arg. 29. ex Menochio, part 3. part 3. cap. 67. ex Malleo malef. & aliis, quos citat Gastaldus, tom. 3. de Potest. Ang. dist. 7. p. 1. quæst. unie. & art. 6. ubi resolvit, certam esse materiam obsessionum, ibi: *Sit 1. Conclusio: Aliquando quis possidetur à Dæmonie pro majori suo merito.* Et hoc probat ex Dialogis S. Severi, & Gersonis, tract. de error. circa artem magicam, exemplo cœci nati, Joan. 9. & confirmat Melleus. ex Angel. Doct. & Augustino, lib. 21. de Civitate Dei, cap. 28. & S. Hieronymo, in Epist. ad Paulum de dormitione Cœlesti, & ex Vita S. Palladii, S. Partemii, & aliis Historiis Ecclesiasticis, ut homines justi exerceantur: ergo, &c.

Resp. sicut ad arg. 20. & 28. Si autem Gastaldus, vel alii dixerint amplius, corrigendi videntur cum damnatis Molinosi propositionibus, ut infra dicemus. Sanctus Augustinus in lib. 21. de Civit. Dei, non habet nisi 27. capita juxta editionem Parisensem anno 1613. quam præ oculis habeo.

Arg. 30. ex Gaſtaldo, tom. 3. de Potest. Angelica, dist. 7. ubi ait, Cardinalem Toletum resolvere, multoties Dæmoniacos cogi ad

fornicationem, motis à Dæmonie instrumentis, & applicatis, sicut dicit Augustinus, lib. 15. de Civit. Dei, cap. 24. ergo, &c. Resp. S. Augustinum, lib. 15. de Civit. Dei, cap. 24. quod brevissimum est, nihil dicere de tali violentia diabolica, imò ibi nec verbum loqui de Diabolo. Circa Gastaldum, & Toletum, videantur solutiones antecedentium argumentorum.

Arg. 31. Ex Cardin. Lauræa, Card. in Opusc. 6. cap 5. ubi ait, partem sensitivam hominis purgari Dæmonis persecutione, ibi: *Est adeo vobemens, ac periculosa hæc purgatio, ut plures incipientes ab incepto deficiant, putantes se in suorum defectuum pœnam à Deo esse derelictos:* ergo, &c. Resp. non loqui de violentiis Diaboli, de quibus disputamus, sed de aliis innumeris Dæmonum persecutionibus, & hoc ita certum est; quod cum ego legerem prædictum Opusculum cum reflexione circa subjectam violentiarum Diaboli materiam, nec verbum inveni ad contrarium fulcimentum.

Arg. 32. ex B. Joan. à Crue. B. Joā. lib. 1. Noctis obscuræ, ubi ait, quod à Cru. ad mysticam sensus purgationem, datur hominibus spiritus blasphemiae, lasciviae, & scrupulorum: ergo, &c. Resp. non loqui de operibus malis, sed de tentationibus, & spiritibus malis tentantibus ad opera mala, quod longè distat à violentiis.

Arg. 33. ex Illustrissimo An-
Na gelo

Illust. Manrique, in Notis ad Vitam D. Mariae à Vela (*vulgo la Muger fuerte*) dub. 4. ubi ait, esse communem Theologorum sententiam, à SS. PP. Hieronymo, & Augustino desumptam, multoties Deum Diabolo permittere, quod ingrediatur in corpora Servorum suorum, ut ex eo crescant in perfectione, & augeantur eorum merita: ergo, &c. Resp. sicut ad arg. 19. 20. & 28.

Inf. ad argu. 43. Arg. 34 ex ipso Manrique nuper citato, qui refert; Sanctum Abbatem Silicem pertulisse Dæmonis obsessionem decem diebus ante mortem illius; quapropter S. Abbas longævus improperebat Diabolo, dicens: *Ad vesperum venisti miser, hoc magnum non est: ostendisti miserrimè imbecillitatem tuam*, &c. ergo, &c. Resp. sicut ad arg. antecedens, intelligi de obsessione pœnali, non de violentiis, ut ex se liquet.

S Eust Virg. Arg. 35. ex S. Eustochia. Virgine Pitavina, obsessa, sive possessa à nativitate, prout refert P. Martinus del Rio, apud Manrique ubi supra: ergo, &c. Resp. ex S. Augustino sicut ad arg. 27. Sic enim respondetur circa Religiosam obsessionem, quam refert S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4. & circa 24. Moniales obsessas Conventus Galliae, quæ in observantia juxta vixerunt, ut videri potest apud Illust. Manrique, supra eit. Confimenter resp. de Illustri. Matrona, quæ sine antecedente culpa, vixit obessa, de qua loquitur

S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 9. & de Religioso obsesso, quoniam in Oratione se distraxit, prout legitur in Vita S. Bernardi Abbatis, lib. 2. cap. 20. & de muliere pœnitente, Benedicta nominata, Diabolo obsidenti tradita, prout referetur in Vita Cherubici Magni Patris mei Dominici, à Vincentio Justiniano conscripta.

Arg. 36. Innegabiles sunt Diaboli obsessiones, ut supra vidimus, ita ut hæretici ad negandam Ecclesiæ potestatem ad exorcismos, negaverint obsessos, & possessos; ut tenet Torreblanca, in Praet. Jur. lib. 3. cap. 8. num. 1. & etiam sine maleficio, ut docet ipse Torreblanca variis exemplaribus, eod. rebla. tom. 12. cap. 4. à num. 2. & in super, nonnullios Sanctos fuisse sic obsessos, afferit Cardiu. Lauræ Opusc. 6. cap. 5. fol. 359. ex Vitis Patrem. Præterea, fore quid valde distinctum *Circummissionem*, *Obsessionem*, & *Possessionem*, sicut in expugnatione Civitatis distinguuntur, *Bloqueo*, *Sitio*, y *entrada de las Milicias*, explicant Torreblanca, lib. 3. Praet. Jur. Spirit. lib. 2. cap. 8. & Alapide, in cap. 23. Lucæ, sup. illud Psalm. 21. in Tauri pingues obfederunt me; sed Lucæ in expugnatione Urbi non solum intercedunt suasiones, & allicientiae, sed etiam violentiae: ergo, &c.

Resp. concedendo totum argumentum, præter consequentiam, & paritatem. Non negamus Diaboli obsessiones, etiam in personis

S Gre. gor. in Dial.

sonis innocentibus, & Sanctis, absque maleficio; negamus autem Deum permettere ad elevandas animas, easque transformandas, Suprà & sibi mysticè uniendas, diabolum argu. in eis causare violentias turpes,

22.

& obscenæ, ipsis advertentibus, & nolentibus, & absque offuscatione mentis, sicut in relatis quinque propositionibus continetur. Disparitas inter milites expugnantes Urbem, & Diabolum obsidentem animam notissima est ex solut. ad arg. 22.

S. Au-

Arg. 37. ex S. Agustino. lib. 15. gust. de Civit. Dei, cap. 14. à Gade Ci- staldo citato, dist. 7. quæstiunc. unica, ubi ait, Dæmones incubos sæpè improbos extitisse mulieribus. Et de quadam Moniali produnt, quod pluribus annis à Dæmone incubo nolens patiebatur. Et V. Beda super cap. 8. Lucæ refert exemplum alterius Monialis virtuosæ, quæ idipsum patiebatur. Et P. Tyræus, 1. part. de loc. infest. cap. 19. inter magnos animarum labores, adstruit violentam Dæmoniorum persecutionem ad turpitudines patrandas, & alia ex Cæsario superaddit exem-

Gast.

plaria. Et Gastaldus de Potest de Po- Ang. dist. 4. quæst. 1. art. 5. cum test. Silvestro resolvit, Dæmones cum hominibus more sodomitico pertractare: ergo, &c. Imò Gastaldus, tom. 2. de Potest. Ang. fol. 127. col. 1. num. 2. referens Niderium in suo Formicario sabinfer, quod si Diabolus consentiente muliere valet exercere concubitum, non

est ratio, cur ipsa dissentiente non possit: ergo, &c.

Resp. in primis, S. Augustinum Suprà loco citato nihil dicere de Dæmo- ad ar- nibus incubis, imò nec Diabolum gum. nominare in toto capitulo, ut 30.

jam supra notavimus in solut. ad arg. 30. Editio mihi est Parisiis, anno 1613. Forsan in alia edi- tione dicet, quod objicitur in ar- gumento, ad quod respondendum est sicut ad arg. 6. & 9. Sic etiam resp. ad alia, quæ in argumen- to objiciuntur, dum de violentiis turpibus loquuntur in execuzione. Ad exemplar V. Bedæ resp. simi- liter. Ad aliud autem ex Tyræo resp. loqui de temptationibus im- portunis. Ad alterum ex Silvestro, resp. sicut ad arg. 6. & 9. Ad ultimum illarum ex Niderio resp. nullam esse paritatem, prout sæpè diximus de Diabolo ligato. Posset autem, nisi fræparetur à Deo.

Arg. 32. Innegabilis est in ob- sessis violentia linguae, ut Dia- bolus loquatur per linguam ob- sessi contra voluntatem creatu- ræ: ergo à simili concedendæ sunt violentiæ turpes à Diabolo contra voluntatem obcessi. Prob. antec. ex Simancas de Cathol. Instit. cap. 37. ubi cum Juristis affirmit, testimonium Energumeni non esse sufficiens judicium ad procedendum contra quemquam. Vide Castro Palao, 1. part. tract. 4. disp. 8. punct. 16. Et Farinac. de Hæres. q. 185. refert. Supremæ Inquis. decretum, ne recipiatur

Ref. in
Pra.

testimonium à fagis, & maleficiis. Et ex Rosel. in Prax. scrup. cap. 28. ubi refert horrendas obfessorum blasphemias contra Deum, & Sanctos ejus: imò, & suppositicias eorum Diabolo traditiones absque cooperatione voluntatis: & audire seipso loquentes, & intus dicentes: Ego Deum nego, Dæmori me trado, &c. Et Author Vitæ Dom. Mariæ de Vela, fol. 166. ait, quod Diabolus causat in obfessis impedimenta linguae ad exercitium Confessionis. Et fol. 168. & 3. part cap. 17. inquit, quod Diabolus violentat obfessi linguam ad proferendum blasphemias, & immunditias, etiam advertente obfesso, & in suis sensibus conservato: ergo, &c. Hanc ipsam advertentiam concedere videtur ipsa Dom. Maria Vela, fol. 160. col. 1. & 2. cap. 24. 2. part.

Gast. de Pot. Ange. exēp. Confir. 1. arg. ex violentia Dæmonis in obfessis ad alios actus ex se malos. Gastaldus, tom. 2. de Poteſt. Ang. fol. 529. refert de mulieribus obfessis cajusdam Villæ de Bohemia, quod nocte una occiderunt Parentes suos, filos, & proprios Maritos. Idipsum docet Tyreus 1. part. cap. 6. ubi ait, quod sæpè Diabolus in obfessis facit, ut interficiant se metipsos. Ad id facit, quod Monachus Stagyrius in laqueos se mittebat, & Evangelii obfessus se projiciebat in ignem. Et S. Teresia à Jesu, cap. 31. Vit. inquit, quod Diabolus, quin ipsa se resistere posset,

conquassabat eam in corpore, brachiis, & capite: ergo, &c.

Confirm. 2. arg. ex violentiis Jus Diaboli in obfessis erga Sanctas Canonicas, imò & contra Sanctissimæ & Eucharistiae Sacramentum. Com. Jus Canonicum, cap. Communiter, Tolet. cap. Clerici, & cap. Usque Et Decretum Concilii Toletani Secundi, cap. 13. prohibet, ne Sacerdotes obfessi, & energumeni administrent Fidelibus Sacrosanctam Eucharistiam, usquedum ab obfessione liberi comprobentur. Et Rubricæ Missalis antiqui signant periculum effundendi consecratum sanguinem. Et Rituali Pauli Quinti expèsè monet exorcistas, ne super caput energumeni vas applicent Sanctissimi Sacramenti, propter periculum, & metum irreverentiae. Et Autor notarum ad Collationes Cassiani, sup. Col. lat. 2. cap. 30. resolutionem Pro-ponit Abbatis Sereni, ut detur obfessis licentia communicandi, etiam per singulos dies eo semper salvo, quod irreverentiae periculum non adsit, puta execrationem, vomitum, &c.

Et Tyræus, 2. p. de Dæmon. cap. 26. n. 4. refert exemplar, quod proposuit S. Cyprianus, Serm. 6. S. Cy- de Lapsis, cuiusdam puellæ ob- sessæ, quæ Sacram Eucharistiam Serm. projectit per violentiam Dæmonis, & cap. 28. n. 9. refert aliud exemplar Prosperi Aquitanici, alterius obfessæ puellæ, quæ per dimidiam horam species consecratae masticavit in ore, Dia- bolo

bole impidente specierum transitum ad stomachum. Et eodem c. n. 11. statuit regulam Timothei Alexandrini, c. 3. resp. dicentis, concedendam fore obfessis Communionem Sacram, verumtamen tunc temporis, quando Dæmones molesti non sunt, nec ulla Sacramenti irreverentia timetur. Et Torreblanca, lib. 12. Jur. Spirit. c. 32. n. 60. dicit, non esse magis, Deum Diabolo permittere, quod irreverentiana causet contra Christum Dominum sub speciebus consecratis, ubi adest impensis, quam permisisse, quod assumpsisset eam Diabolus in Sanctam Civitatem, & in montem, & suprà pinnaculum Templi. Sic. S. Gregor. Pap. hom. 16. sup. Evang. ait, quod hoc mens refagit credere, & aures humanæ hoc audire expavescunt: verum nihil mirandum, si, & alia facta pensentur, &c. Videatur Author Vitæ D. Mariæ Vela, 3. part. c. 13. fol. 162. col. 1. ergo pariter concedendæ sunt Diaboli violentiae in obfessis circa res venereas, & turpes.

Ad arg. resp. sicut ad arg. 6. & 9. ubi satis diximus de divinis permissionibus. Non admittitur in jure testimonium Energumeni, non solum quia nescimus an in eo loquatur Diabolus, vel creatura, quin etiam propter vehementissimas obfessorum imaginaciones, quibus passim falluntur, de quo amplius infra. Illud autem quod dicitur, obfessum audire se

ipsum loquentem, & intus dicentem: Deum nego, &c. potius ad tentationem, quam ad violentiam spectare. Præterea, Diabolum impedire linguam ad Confessionem, credibile fit; quoniam remedium obfessi validum contra Diabolum est Pœnitentiæ Sacramentum, ut notat Ven. Beda in cap. 8. Lucæ, cap. 30.

Ven.
Beda.
in Luc

Ad confirm. 1. arg. resp. sicut ad arg. 5. in prima replica. Ad illud de Monacho Stagyrio resp. fuisse tentationes vehementes, & actus sine advertentia, non autem violentias, de quibus loquimur. Ad aliud de S. Teresia resp. fuisse solum violentias pœnales cum tormento corporis, in anima verd, licet eodem tempore forent vehementes tentationes, non est passa violentias. Videantur quæ suprà diximus in solut. ad arg. 11.

Sup.
ad arg
11.

Ad confir. 2. arg. omittendo quidquid in ea refertur, resp. negando consequentiam, & paritatem. Quoniam Diaboli violentiae in tali materia, eti tam horrendæ, non sunt animabus sic periculosæ, sicut violentiae turpes in actibus, & tactibus venereis, obsecratis, & nefandis. Præterea, nec ob id concedimus, violentias in argumenti confirmatione relatas, inter purgationes passivas sensus esse computandas; quoniam aliud est, Deum eas permittere in aliquibus obfessis, & aliud validè diversum est, Deum eas permittere in Personis Sanctis, ut ad veram transformationem,

Sup.
ad arg
6. & 9.

& unionem mysticam eleventur.
Gonz. Hoc semper negamus. Videantur lib. 3. supra dicta in solut. ad argum. 6. c. 21. & 9.

Arg. 39. ex Vita D. Mariae Vela, ubi refertur, quod ei Diabolus apparebat in figura cuiusdam Sacerdotis, à quo ipsa Missam audiebat, & Sacrosanctam accipiebat Eucharistiam; ipse verò Diabolus sub tali figura Sacerdotis violentas cum ea exequebatur lascivias. Et in eodem lib. 3. part. cap. 31. circa medium inveniur, Diabolus ex Divina permissione sumpfisse figuram Christi Crucifixi: & paucis interpositis afferitur, quod ipse Diabolus in figura Christi Crucifixi amplexatus est eam, & ipsam ad turpitudines provocabat, &c. ergo permisae sunt Diabolo turpitudines violentæ cum muliere sancta, &c.

Gonz. Resp. ad primum quod apparitionem Diaboli sub figura Sacerdotis, violentas exequentis lascivias, et si diligentè quæsivi non inveni; nisi fortè sit, 3. p. cap. 16. paulò post init. ubi loquitur de apparitione Diaboli sub figura Sacerdotis. Aliud autem de apparitione Diaboli sub figura Christi Crucifixi, sic legiur ubi creatur: at verò notandum est, fore quid distinctum provocare eam ad turpitudines, & violentas exequi lascivias. Provocatio quidem, potius ad tentationem attinet, quam ad violentiam.

Resp. 2. ad utrumque punctum argumenti, relatos lascivos ample-

xus, non realiter, & verè fuisse executo, sed solum in imaginatione vehementi contigisse. Hoc aperte fatetur ipsa D. Maria Vela, 3. p. cap. 12. ante med. ubi ait, quod per anni spatium vexata est à septem Dæmoniis turpibus, & licet fateatur, quod ab eis patiatur amplexus, & audiebat turpissima verba, adverit tamen, quod visio solum erat imagina-

Hinc reor, fere omnia, quæ reperiuntur variis in libris de carnibus actibus cum Dæmoniis, & intumescentia ventris, potius apparenter, quam realiter evenisse: potiusque fuisse vehementes feminarum apprehensiones, & imaginationes, quam realitates. Videatur Gaſtaldus, tom. 1. de Potest. Ang. fol. 46. n. 1. Ideò juxta de Po- Decretum Congreg. Supremæ In- quisit. quod refert Gaſtaldus tom. 2. de Potest. Ang. fol. 223. num. 19. non est recipiendum Sagarum testimonium, quoniam evenire contingit, non esse realitatem facti, sed imaginationis fabulationem.

Et P. Thyraeus de Dæmon. p. 1. cap. 6. n. 5. tenet, quod Diabolus in obsessis ita fascinat sensus, Alap. ut patiens existimet, se percipere rem, quæ revera sic non est. Hoc ex Abulense confirmat. q. 115. in 8. Matthæi. Et Cornel Alap. sup. 4. Matth. v. 8. ait, Diabolus cauſare posse fascinationem sensus, sicut facit permitente Domino, dum ostendit ei omnia regna-

munda.

mundi. Et Gaſtaldus tom. 1. cir. fol. 482. col. 2. dicit, quod pos- sunt Dæmones, non solum in somno, sed etiam in vigilia mo- vere phantasiam, quam movent ita fortè, ut credant se videre extrinsecus, quæ phantasticantur. Ad quod citat Augustinum, lib. qq. q. 83. & S. Thom. 4. contra Gentes.

Ex his evenisset, obsessos non- numquam dicere se vidisse in aliis actiones pravas, ut Justorum bona famam evertant, prout no- tatt Martinus del Rio, lib. 6. Mag. Mart. de el Rio.

Gastaldus, tom. 1. de Po- test. Ang. fol. 46. n. 1. Ideò juxta de Po- Decretum Congreg. Supremæ In- quisit. quod refert Gaſtaldus tom. 2. de Potest. Ang. fol. 223. num. 19. non est recipiendum Sagarum testimonium, quoniam evenire contingit, non esse realitatem facti, sed imaginationis fabulationem.

Si cum obsessione, imò, & sine illa invenitur spiritus scrupulo- rum, augentur vires assumpti. Quoniam ad tales confusionem deveniunt, ut dicant, & confe- teantur, se commisso exteriore actus quos non commisso mani- festum est, ut advertit Joannes Sanchez, disp. 41. n. 24. Idem te- net Layman, tom. 1. cap. 6. ubi consulit, quod Scrupulo præ- piatur, ut numquam cum ipso Confessore proprio, vel cum aliis

loquatur de tali scrupulo, vel scrupulis. Vil Castro Palao, tom. 1. disp. 4. n. 3 & 8, verb. Confes- sio, num. 4. Coninch, disp. 7. de Sacram. dub. 8. num. 53. & Franc. de Victoria, q. 130. dicit, quod satis est confiteri peccata certa, & quæ verè sunt dubia, sed non de scrupulis, ne fiat odiosum Sacra- mentum.

Cong. ubi ci-
tat.

Nunc igitur ad argumenti me- tas revertentes, respondemus, po- tius esse imaginationes vehemen- tes, sive scrupulos impertinentes obnubilatarum mentium, quam realitates, aut veras Diaboli vio- lentias turpes, quas firmitè nega- mus semper, maximè in anima- bus Sanctis, de quibus est quæstio. Confirmor ex ipsa D. Maria Vela, 3. part. cap. 17. paulo post init. ubi ejus Confessor, & Chronologus ait, numquam Diabolus assump- sisce linguam illius, ne Spiritus blasphemiae possideret linguam, quæ loqui nesciebat, nisi Divinas laudes ad benedicendum Regem Cœlestem. Hoc maximè nota, ut non violentias alias ad opera prava in personis Sanctis conce- das.

Argu. 40. Concesso ex supposi- tione possibili, vel impossibili, Deum permettere violentias Dia- boli turpes in creaturis Sanctis, de quibus est quæstio, ipsis crea- turis nolentibus, & pro viribus resistentibus, nihil sequitur nisi ipsarum creaturarum humilia- tio, & confusio cum ingentissi- mo merito ab ipsa resistentia pro-

cedente, ut ex se liquet; sed totum hoc sanctum est: ergo, &c. Prob. maj. ex Angel. D. 1. 2. q. 36. num. 4. ubi cum August. dicit: *Quod voluntas resistens potest at fortiori causat dolorem: si enim inquit non resisteret, sed cederet consentiendo non sequeretur dolor, sed deletatio.* Et ipse S. Aug. in Joan. Serm. 43. dicit: *In bonis concupiscit caro adversus spiritum: in malis autem non habet contra quem concupiscere: ibi enim concupiscit adversus spiritum, ubi est spiritus: ergo posita creaturæ resistentia in violentiis Diaboli, nihil mali sequitur, & supra modum ipsius creaturæ merita sublimantur;* ergo, &c.

Resp. Suppositionem argumenti repugnare, 1. Propter pietatem, & fidelitatem Divinam, ut cum S. Birgitta diximus in solu-

tione ad arg. 12. Non enim dignè sentimus de homine, qui calam habens uxorem, & in virum suum fidelem supponit eam adultero, 2. Quoniam saltem in resistentia ad violationem corporis pateretur Dominus, nos tentari supra id quod possumus sustinere, siquidem ex una parte tenemur resistere, & ex alia, cum vires Diaboli sunt majores, non posset.

Sup. creatura in resistentia prævalere: ad ar. Videatur ratio 35. 3. Quoniam to-

gu. 21. mundi gubernium politicum,

civile, & criminale confundere-

tur, ut diximus in ratione vige-

fima.

Argumentum insuper retor-

queri valet hoc modo. In pericu-
lo maximo peccandi non cadere,
sed resistere, magnum meritum
est: ergo nihil mali sequitur, imò
ingens meritum ex eo, quod quis
ingrediatur voluntariè in pericu-
lo proximum peccandi? Falsa
est consequentia; nam verum est,
quod qui amat periculum, peri-
bit in illo. Præterea, certum est
quod multæ doctrinæ prohiben-
tur ex hac ratione, quod in praxi
periculose sunt. Postmodum, nega-
re non possumus, circumstantiam
temporis periculosa efficeret
doctrinas: nunc ergo, quando Mol-
inistica Secta grassatur, magis
erit periculosa doctrina relata.
Multæ vidimus, & adhuc timeo-
ne videamus multa majora. Dia-
bolus Molinosus solitus ambulat.
Vigilate Pastores, & Ministri Do-
mini.

Arg. 41. Experimur, Animas
virtuosas resistere in talibus Dia-
boli violentiis turpibus: ergo du-
rissimum est eis dicere, quod in de-
Act. eis peccant: ergo dicendum est eis hum.
non peccare, quoniam sine con-
sensu voluntatis non est pecca-
tum: imò & cum displicentia fa-
cti, non est voluntas peccandi;
sed in talibus virtuosis Animabus
magna reperitur displicentia dia-
bolicæ violentiæ: ergo, &c.

Resp. Verum. esse quod sine
consensu creaturæ libero non est
peccatum. Valde autem nota-
dum est, quod cum effectiva dis-
placentia facti potest inveniri pec-
catum. Ad hoc facit Seraphici
Docto-

S. Bo-
nav.

Doctoris Bonaventuræ doctrina,
quæ mirè distingit inter volun-
tatem effectivam, & affectivam.
Mercator cupidus, qui projicit
merces in mare, ut evadat tem-
pestatem, & naufragium, revera-
cum ingenti displicantia cordis
projicit eas, & tamen eas liberé
projicit effectiva voluntate, non
affectiva, quoniam ipse vellet eas
non projicere, & cum amaritudi-
ne cordis eas projicit. Ecce vo-
luntatem effectivam sine volunta-
te affectiva.

Sic forsitan evenit multis Ani-
mabus in rebus venereis: Hoc ma-
xime nota. Ipsæ nollent peccare,
urget verò tentatio carnis: tran-
seunt, & pertransiunt imagina-
tiones impuræ; movetur semina-
rius humor, turbatur affectus,
instant illecebrosi stimulti libidi-
nis, & inter hæc, & illa fit, &
exequitur impura pollutio carnis,
aut tactus impudicus. Anima nol-
let peccare, & amaritudine cordis
cruciatur eodem tempore, facit
tamen, & operatur voluntate ef-
fectiva, licet non affectiva. Est er-
go peccatum.

Sic de infelice Judice Pilato
scripsit Sanctus Augustinus, & di-
xit: *Institutus Pilatus, quantum po-
tuit, ut Christum ex Iudeorum ma-
nibus liberaret. Nostris illum lavisse
v. 2. manus, & dixisse, quod ipse non fe-
cisset, mundum se esse à morte il-
lius. Fecit tamen. Ecce libertatem,
& voluntatem effectivam, licet
non affectivam. Sic peccavit.*

Ad argumentum ergo nihil vi-

detur, salvo meliori judicio, quod
licet absolutè non dicatur Animæ
timoratæ, quod peccavit in casu
metaphysico relato, non est ei di-
cendum absolutè, quod non pec-
cavit, sed quod res est valde per-
iculosa: quod Deus talia non per-
mittit Diabolo in Animabus San-
ctis: quod humiliè confiteatur
semper, dum idem ei contigerit:
quod clamet ad Deum, & speret
in ipso, &c.

Arg. 42. Furor uterinus, & in-
firmitas alia, quam Medici vocant com.
Satyriasis, sive pruritus venereus, de Fu-
sic vehementer provocant ad ta-
ror. Etus luxuriosos, & impudicos, ut
in amentiam inducantur Animæ
patientes. Ferè idem faciunt me-
lancolius humor, & biliosus, &
hypochondrius, dum ad excessum
devenire contingit, ita ut in affe-
ctibus, & effectibus videantur ob-
sessiones, & maleficia; sed in eis
Animas patientes excusamus à
peccato: ergo &c.

Resp. disting. min. excusamus
à peccato, dum tales infirmita-
tes totaliter libertatem evertunt;
concedo; dum sufficiens adver-
tentia manet in eis, & in creatu-
ra paciente manet voluntas effe-
ctiva, licet non affectiva, nego
min. & conseq. Hoc maximè nota,
quod furor uterinus (idem de aliis
affectionibus, & passionibus) non
semper excusat patientem à pec-
cato, sed tunc solum, quando nec
in causa, nec in elicitia actus,
sive tactus prohibiti, potest im-
putari creaturæ. Quod autem sit
ad-

Uter. advertentia plena, vel semiplena
Sanc. docent Sanchez, lib. 1. Moral. cap.
Sum. 1. num. 10. & Vazquez, lib. 2.
Mora, dis. 107. cap. 4.

1. & Thyræus, part. 2. cap. 26. num.
Vazq. 11. dicit: Quidquid obsessi effi-
Thyr. ciunt ia turbatione, non esse tri-
de buendum creaturæ, sed Diabolo
Dæm. obsidenti. Et Baldellus, lib. 4. de
consc. erron. disp. 4. cit. à Rosel.
c. 15. fol. 80. n. 12. inquit, judica-
tum esse, blasphemias cuiusdam
famulæ virtuosæ, absque adver-
tentia ipsius ancillæ fuisse prola-
tas. in his, & aliis similibus do-
ctrinis non videtur fundanda regula generalis: quoniam difficultum est judicare, an operatio ex
se prava proveniat ab obsessione,
vel ab immoderata passione. Hoc

Sup. mihi videtur certum, quod opera-
ad arg. 15. tio prava tribuenda est creaturæ,
dum positivè non probetur, ab ea
non processisse; & onus hoc pro-
bandi attinet ad ipsam creaturam,
alias ipsi imputabitur in foro ex-
teriori ad culpam, & ad poenam,
ut suprà notavimus in solut. ad
arg. 15.

Leza. Arg. 43. ex Vitæ insignium San-
ctarum Catharinæ Senensis, Ma-
riæ Magdalena de Pazzis, & An-
gelæ Fulginatis, de quibus fertur,
spiritibus malignis blasphemiae,
luxuriae, iræ, gulae, & scrupulorum
fuisse agitas; sed credibile simili-
tè est violentias ipsorum Dæ-
monum pertulisse, de quibus est
quæstio: ergo, &c. Resp. neg. min.
c. 33. quoniam earum Vitæ non refe-
runt violentias, sed tentationes

gravissimas, vexationes, & tor-
menta durissima quod est valde
diversum.

Referuntur enim in earum hi- Illust.
storii apparitiones Dæmonum Mon.
formidabiles, tormenta corpo- in Vit.
rum immanissima, quod ad au- S. Ca-
res earum proferebant blasphe- thari.
mias horrendas, spurcitas, turpi- Senen.
tudines, dubitationes, argumenta
fallacia, desperationes: & in præ-
sentia earum assumptis corpori-
bus humanis apparentibus, per-
petrabant Dæmones mille turpi-
tudines, & actus nefandos; sive
innumerabiles modos, & artes
nocendi, & tentandi machinabani-
tur: hoc tamen excepto, quod
neque permisum est Dæmonibus
linguas talium creaturarum San-
ctarum assumere ad blasphemias,
nee manus earum ad tactus inho-
nestos, & impudicos. Resisten- Anna.
tias insuper ipsarum mirabiles,
heroicas, & exemplares ad tales
tentationes vincendas, dignè ve- Min.
neramur, & celebramus in ea- de S.
rum historiis. Et si in aliqua levit- Ange.
tate ad actum pravum violentia Fulgi.
Diaboli suspicatur, inadvertentiae,
& turbationi, vel humanæ fragili-
tati credam esse tribuendum,
non violentiae Diaboli cum ad-
vertentia creaturæ sanctæ. Vide
solut. ad arg. 39. de multis, quæ
potius sunt imaginationes, quam
realitates.

Arg. 44. ex variis Authoribus,
& Libris, usquemodo non pro-
hibitum, in quibus reperiuntur
Diaboli violentiae ad actus ex

se

se pravos, & à lege prohibitos,
arripiente Dæmone manus, lin-
guam, & membra creaturæ obse-
sæ, quin ipsa creatura valeat resi-
stere; & si resistat, nequeat præva-
lere. Videatur Gastaldus de Po-
test. Ang. Cardin. Tolet. in Lu-
cam, cap. 4. annot. 54. Raphaël
de la Torre, 2. 2. q. 90. Lauren-
tius Aponte, in 12. Mart. digress.
Rosel. 3. num. 7. Rosell de Scrup. cap. 28.
Thyr. Thyræus de Dæmon. 2. part. cap.
32. & alibi. Lopez, Ezquerra in
Lucerna Mystica, tract. 6. cap. 4.
5. & 6. Ubi agit de purgatione pas-
siva, & quomodo ad eam Dæmon
cooperatur; & alii permulti, quos
ipsi citant: ergo, &c.

Resp. Libros Mysticos esse cor-
rigendos, sicut & Morales, juxta
ea, quæ jam prohibita, vel dam-
nata sunt ab Ecclesia Sancta, quæ
est Magistra Orthodoxæ Fidei, &
Columna firma Veritatis. Sicut er-
go in Libros Moralibus, postquam
Alexander VII. damnavit 45. pro-
positiones, & Innocentius Unde-

cimus 60. in quocumque Libro re-
periantur, sunt prohibitæ & dam-
natæ, & sequi non possunt: sic in
Libris Mysticis, postquam Inno-
centius Undecimus damnavit 68. Inno-
XI. &
errores, & Innocentius Duodeci-
mus, 23. ubicumque, & in quocum-
que Libro legantur, sequi no pos-
sunt, sed corrigendi sunt; vel de-
nuntiandi, ut corriganter. Rosell
multa transcripsit ex Aponte, sicut
apparet. Aponte nunc expurgatus
est, ut suprà notavimus.

Oportet ergo, quod proposicio-
nes mysticas damnatas præ mani-
bus habeas, dum Libros evolvis,
& Animas dirigis. Cave, ne pe-
reas per eas, vel confundaris.
Quod natum est ex carne, caro
est, non spiritus.

Subintroierunt enim quidam ho-
mines impii, Dei nostri gratiam
transferentes in luxuriam. Jud. ver-
4.

Quod natum est ex carne, caro
est: & quod natum est ex spiritu,
spiritus est. Joannis 3. v. 6.

FINIS.

DEBITÆ PROTESTATIONIS ITERATIO.

JUxta Decretum SS. D. N. felicis record. Urbani Papæ VIII. in Sac. Congreg. Universalis Inquisitionis Romanæ, ann. 1625. editum, & ann. 1631. declaratum, ac tandem ann. 1634. confirmatum, firmitè profiteor, quod si miracula, vel revelationes in hoc Opusculo reperiantur, nullam ex hoc recipiunt authoritatem, aut credibilitatem, nisi puram humanam, historicam, & fallibilem. Cæterum, si Elogium Sancti, aut Beati, aliis quam ab Ecclesia Romana Canonizatis, aut Beatificatis, inventiatur applicatum, profiteor, me nolle supra personam id cadere, sed solum supra mores, & opinionem, protestorque, nullum ex eo subjectis accedere cultum, quem alias ab Ecclesia Catholica non acceperint. Sic sentio, & subscribo in hoc Regio Seraphici P. N. P. S. Francisci Cæsar-Augustano Conventu, die 14. Februarii 1713.

Fr. Antonius Arbiol.

Luego con el favor de Dios, saldrá otro Libro de este mismo Autor, cuyo titulo es: La Familia Regulada, con doctrina conveniente para todos los que regularmente componen una Casa Seglar, à fin de que cada uno en su estado, y en su grado sirva à Dios nuestro Señor con toda perfeccion, y salve su Alma.

IN-

INDICE DE LAS COSAS MAS NOTABLES.

El primer número cita la Pagina, el segundo la Columna.

A

- A** Bismo. Unolla à otro, pag. 218. col. 1. y siguientes.
- Absolucion de la Bula para la hora de la muerte, 463. 2.
- Absolucion plenísima de los Religiosos para la hora de la muerte, y la condicion que pido, 463. 2.
- Abstinencia nimia por engaño del Diablo, 202. 1.
- Abstraccion. Convenient para la perfeccion, 38. 2. y fig. 41. 1. 119. 1. 472. 1.
- Acomodarse el Justo à los genios con quien trata, 104. 2.
- Acto de Contricion. Se exorta, 297. 2. Uno breve, 158. 1.
- Actos Anagogicos. Son aquellos, con que asistidos de Dios buscamos nuestro ultimo fin: Quetendas, *Anagogia*, 156. 2. fig. 371. 1. 376. 1.
- Actos para la justificacion, 174. 1. 193. 1. y fig.
- Actos contrarios en las tentaciones. Como? 423. 1.
- Acusaciones. Se toleren con paciencia, 281. 2.
- Adoraciones, y postraciones. Se enseñan, 147. 1.

Advertencia sobre los exercicios para cincuenta Comuniones, 254. 1.

Advertencia general para todo el Libro. Se sigue inmediata al Prologo.

Afabilidad. Vide Benignidad. Mansedumbre.

Afanes nimios. Contrarios al espíritu, 81. 1. y sig.

Afecto. Despegarlo de todo lo criado, 21. 1.

Afecto natural sensible. Se vicia, 126. 2. fig.

Afectos particulares, engañan, 134. 2.

Afectos de la voluntad, como se sacan de la meditacion? 364. 1. 478. 1. sig.

Aficion à nuestro aprovechamiento espiritual, 30. y fig.

Aficiones, y amarguras imperfectas, 33. 1. 454. 1. fig.

Afliccion. No se ha de dár al affligido, 200. 1.

Agudezas vanas. No dicen con la perfeccion, 117. 1.

San Agustin. Como se retardaba su conversion? 114. 1.

Ayunos de voluntad propia, 4. 1. 192. 2. 273. 1. El que ayuna no desprecie al que come, 271. 1.

Aya-